

ligi ita commodè ac de Eucharistico. cum non de suble, à se, vel ex se, tunc natus sit, sed ex Virgine Matre: in Eucharistia autem à se ipso oritur, ex se, aut sub se, non aliena virtute, neque ascitis aliunde viribus, sed ipse per se, & se præexistente tanquam supremo Ecclesiæ Sacerdote, & victima. Qui sensus videtur à Propheta intentus, cum ageret de Christi Sacerdotio & regno. Igitur Christus Dominus in Eucharistia denuo nascitur: imò sæpè sæpius nascitur, oriturque, instar orientis solis, non ab alio quam à se ipso. Sic etiam in ultima coena, dum consecratam hostiam in suis manibus accepit Christus, dicitur seipsum tulisse in manibus suis; ut pulcherrimè observavit Sanctus Augustinus Concione 1. in Psal. 33. expendens illud 1. Reg. 21. vers. 13. ubi de Davide, post comestos propositionis panes, & immutatum vultum coram Abimelech, dicitur: Collabebatur inter manus eorum, quod Augustinus legit, nescio unde, ferebatur manibus suis, in typum Christi se ipsum in coena ultima ferentis. Qui à se ipso potuit ferri, à se ipso potuit nasci.

Psal. 33.

1. Reg. 21. 13.

E Sacerdotum modum oritur Christus in Eucharistia, quasi ex utero Virginis.

Sacerdos est Christi Patris. Gen. 22. 2. Rupert.

S. Damasc.

S. Justinian.

77

77

973 Alium sensum illorum verborum à se, vel ex se orietur, nobis offert Sanctus noster. Cum enim in eo Zachariæ capite sermo historicus sit de Jesse filio Josedech Sacerdote magno, qui Christum, supremum Ecclesiæ Sacerdotem figuravit; perinde erit dicere, subter eum orietur, à se, vel ex se; atque sub illo Jesu Sacerdote orietur alius Jesus Servator, qua ratione aliquod, quod sub umbra lamærat, in lucem prodire dicitur. Addiderim, in eo Jesu filio Josedech adumbratos quidem esse novæ legis Sacerdotes, à quibus prodire dixerit ipsum Christum Dominum, instar Solis exorientis, ex vi verborum consecrationis. Hinc Orosius Epist. 4. ex S. Augustino dixit, Sacerdotem esse Christi Patrem. Et ad Sacerdotem signatim referenda illa Dei verba ad Abraham Genes. 22. 2. Tolle filium tuum unigenitum Isaac, & vade in terram visionis; atque ibi offeres eum in holocaustum. Ubi rectè Rupertus: Quemcumque ad sacrum altare divina vocat gratia, profecto jubetur illi, ut tollat filium suum Isaac, eumque Domino in terra visionis in holocaustum offerat. Et S. Damascenus lib. 4. de fide c. 14. confici à Sacerdotibus Eucharistiam putat per obumbrationem Spiritus sancti, & generationem, quæ quodammodo à Sacerdote fluat. Accipe ejus verba. Quomodo fiet mihi istud, dicit S. Virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel: Spiritus S. superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi & vinum & aqua sanguis Christi? Respondeo tibi & ego: Spiritus sanctus obumbrat, & hac operatur super sermonem, & intelligentiam; panis autem, & vinum transsumuntur. Imò solent S. Laurentio Justiniano ea verba adscribi. O admiranda Sacerdotum dignitas, in quorum manibus, velut in utero Virginis Filius Dei incarnatur! Ut ex his appareat, qua ratione Christus Dominus in alma Eucharistia denuo incarnetur, & nascatur tum à se ipso, tum etiam quodammodo à Sacerdote verba consecrationis proferente, ipse Christi nomine: cuius ibi ortus est ad instar solis exorientis, ut Malachias inquit: Orietur vobis Sol.

974 Pro orietur, est Hebræum verbum zach, cui affine est zarak, & significat spargere,

fundere, effundere; & propriè etiam spargere, vel effundere sanguinem ex vase: nam ex ea voce oritur miracoth, id est, sparsoria, crateres, phiala, unde victimarum sanguis spargebatur. Itaque non ineptè Zachariæ verba transferas: Spargetur, fundetur, effundetur vobis Sol, tanquam sanguis victimæ ex vase. Videtur Vates hæc dixisse cum intuitu aliquo ad veterum opinionem existimantium, Solem quidem ad occasum tendere invecum poculo, eoque descendisse de celo; uti ex multis probat Athenæus lib. 11. Depnoso. Ibi Hiperconides: Sol in auream pateram descendit oceanum, ut emensus ad sacra, obscuræque noctis profundas sedes accedat, ad matrem, & etate florentem conjugem, & charos liberos. Quò referas bono sensu illud nostri Ecclesiastici cap. 43. vers. 2. Sol in aspectu annuntians in exitu (id est, egressu vel ortu suo) Vas Eccles. 43. admirabile, opus excelli, Tigrina, quid Sol vers. 2. annuntiet, explicat: Sol lucem annuntians cum emergit. Sol vas appellatur, quia (ut exponit ibi Palacius) formam habet vasis rotundi, si globi sphaerici, qui quasi vas in se continet incredibilem lucis copiam, & vires rerum inferiorum. Idcirco aiebat Sanctus Basilius Homil. 6. in Hexaemeron, Solis corpus eò conditum esse quarta mundi die, ut primigenia luci vehiculum esset. Ex hoc igitur vehiculo, patera aurea, vase, vel poculo, cum emergit ex Oceano emenso, suos lucis thesauros liberaliter effundit Sol, & disperit in omnes terræ creaturas. Etenim cum Sol extet significati- va, expressa, & evidens divina bonitatis imago, ut loquitur Sanctus Dionysius cap. 4. de Divinis Nominibus; poculum Solis aureum, unde lux abundè spargitur, & effunditur, por-tendere dixerim Eucharisticum calicem; in quem verus Justitiæ Sol è celo descendit, post emensum passionis & mortis Oceanum, & à quo suam lucem spargit, atque effundit, dum ex eo suum nobis fundit & porrigit sanguinem: calix enim est, ut aiebat Sanctus Ephrem supra, plenus lumine: & calix Dominico sanguine plenus, qui pro nobis effundetur, aut juxta Græcam translationem, effunditur. Luc. 22. 20.

975 Hinc veniat illud Ecclesiastæ cap. 1. vers. 5. Orietur Sol, & occidit, & ad locum suum revertitur, ibique renascens gyrat per meridiem. De Solis circuitione, ortu, & occasu sapissimè iteratis sermo est. Sed in Christum Dominum, verum justitiæ Solem, hæc bellissimè cadunt. Ut enim Sanctus Chrysostomus Tom. 3. in Homilia de Virtute, & Ecclesia; Ortus est nobis Sol justitiæ Christus, de sancta Maria secundum carnem genitus. Occidit verò quando post Crucem ad inferna descendit: & ad locum suum revertitur, ipso dicente: Cum exaltatus fuero, universos traham ad me. De hoc Sole justitiæ Malachias pronuntiat, dicens: In diebus illis orietur Sol justitiæ, & sanitas erit in pennis ejus. Primus mystici Solis ortus fuit nativitas ejus ex Matre Virgine; occasus verò, cum in altitudinem maris venit; mors in Cruce. Tunc autem ad locum suum revertitur, seu ut multi apud Pinedam nostrum transferunt, anhelat, aspirat, anhelus tendit, inhiat, cupit ardentè; cum post emensum passionis, & mortis oceanum, ad Eucharisticum calicem accedit, ut ibi renascatur exaltatus à terra; & suam lucem à poculo effundit. LXX. vertunt: ad locum suum ducet,

Christus in Eucharistia sæpè nascitur, & emoriatur quodammodo.

Christus in Eucharistia quasi sol vobis Sol, tanquam sanguis victimæ ex vase.

Aurea Solis patera.

S. Basilius.

S. Dionys.

S. Ephrem.

Christus, ut sol post passionem ad locum suum revertitur ad altare.

S. Chrysost.

ducat, oriens ipse sibi. Syriaca; ut inde etiam oriatur. Sed aptissimè Vulgatus habet, ibique renascens, ut iterata sæpè Christi nativitas in Eucharistia commendetur. Et quemadmodum Sol sæpè nasci, & mori extimatur; sic Christus justitiæ Sol per Eucharisticum Misa Sacramentum, & sacrificium sæpè & oritur, & occidit ex vi verborum consecrationis, & mystica carnis & sanguinis separatione: verba enim illa & Sacramentum conficiunt, & sanguinem Christi à corpore quodammodo dirimunt, videlicet significatione sua. Ecce quæ ratione Malachias prædixit de sacra Eucharistia: Orietur vobis, seu spargetur, diffundetur vobis, ut ex poculo sanguis, Sol justitiæ.

976 Nova Malachiæ verbis utroque intuitu lux affulget ex Cantico. 1. vers. 1. ubi sponsa absentis dilecti Jesu desiderio flagrans inducitur ita loquens: Osculetur me osculo oris sui; quia meliora sunt ubera tua vino fragrantia unguentis intimis. Oleum effusum nomen tuum. Non vulgaris est Tucci Tucci linguarum perfectissimi translatio ex Hebræo in suis super Cantico Cantico Annotationibus, in Annotat. 1. de Osculis, ubi sic legit: Potet me osculis oris sui, atque explicat: Potum dabit mihi amor meus, sicut qui pocula ministrat, & cyathos. Quia Deus homo factus, pro me passus, suum calicem mihi præbebit; jubens me & potare suum sanguinem. Forlam alludit ad pueros ornatisissimos, pocula ministrantes cum osculo, in signum subjectionis & observantiæ. De quo Horatius lib. 2. Satyra ultima, & Plato in Persa. Spon-sa ergo ab sponsi ore osculum libere ardentè exoptat; osculum, in quo sit potio; ita ut una cum osculo poculum sui sanguinis ei admittret, in divinissimi amoris argumentum.

Cant. 1. 1.

Tuccius.

Osculari & potare idem in Eucharistia.

S. Ambros.

Tres PP.

77

Christus Sol effusus in Eucharistia.

77

77

illuminationem, & societatem; nam ibi Christus & lux est & potus; lux collustrans, & potus situm explens. In cujus rei significationem videas non semel in sacris litteris aquam & lucem, fontem & Solem inter se adlocata. Psalm. 35. vers. 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos. Quoniam apud te est fons vitæ & in lumine tuo videbimus lumen. Et Esther 10. vers. 10. Parvus fons, qui crevit in fluvium, & in lucem, solemque conversus est, & in aquas plurimas redundavit. Hinc Sponsa potum sibi ab Sponso dari petit, certo sciens, intra Eucharisticum Calicem contineri non solum totius honestissimæ voluptatis potum, sed Solaris luminis abyssos. Potet me & c. Sol effusus persona tua. Cui mirè assonans Malachias ait: Spargetur, effundetur Sol justitiæ. Non hic præmittam quod refert Thomas Canupratan. in vita S. Lutgardis apud Surium 16. Junii, de religioso quodam Sacerdote scire cupiente, quid sibi vellent ea verba: Pulchriores sunt oculi ejus vino. Genes. 49. vers. 12. Vi-Surius. dit ergo in sancto Calice divina mysteria celebrans Christi faciem, ejusque tanto lumine radiances, ut mundum unversum, etiam in mediis tenebris, longè ulterius quam vel mille Soles possent illustrare.

978 Deinde Sol justitiæ appellatur Christus D. sub Eucharisticis speciebus. Cur justitiæ? Certè in eo sensu, quo Joel c. 2. 23. prædixit, Et filii Sion exultate, & latamini in Domino Deo vestro, quia dedit vobis Doctorem JUSTITIÆ. Ubi de alma Eucharistia videtur esse sermo, juxta LXX. translationem: Quoniam dedit vobis escas justitiæ: sive, ut S. Hieron. legit, alimenta justitiæ. Qui enim Doctor justitiæ est apud Joelem, sol justitiæ, dicitur apud Malachiam, Christus nempe in feruli speciem conformatus, qui dum debetè à fidelibus degustatur, abundè illuminantur, ut veram justitiam & sanctitatem acquirant, augeant, & retineant. Indicabo translationes alias, ut tibi libera sit rei promovendæ facultas. Memini jam supra illarum, quæ vulgò solent circumferri. Sol benignitatis, misericordiæ, clementiæ, pietatis. Sic enim diversimodè accipi solet vox justitiæ in sacris litteris. Pro justitiæ, est Hebræicè zachu, sive zecub, quod in lingua Chaldaica significat etiam munditiam. Unde Chaldaeus transfert: Sol munditiei, puritatis. Cumque ea vox emanet à verbo zaca, id est, vincere, poteris commodè vertere; Sol victoriæ. Sic Christus in Eucharistia appellatur, fortè cum intuitu ad Josuanam Solis stationem, omnino miraculose, Josue 10. 12. Stante enim Sole victor evasit de suis hostibus Israeliticis exercitus. Steteruntque Sol & luna, donec ulcisceretur se gens de inimicis suis. Unde Sol tunc stans, Sol victoriæ dici potest: & typus quidem Eucharistici Solis. Ut enim Origenes ibi: Dum nos bellum gerimus adversus inimicos nostros, & potestates tenebrarum harum, Sol nobis justitiæ indefinenter assistit, nec deserit unquam, nec festinat occumbere, quia ipse dixit: Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi. Et Sanctus Chrysostomus Hom. 27. in Epist. ad Hebræos, illam Josuanam Solis quietem expendens, subinfert: Quid mihi opus est Sole & luna, & istis miraculis, ipso Domino cunctorum apud me habitante & permanente! Hæc cursim.

Psal. 35. 9.

Esther 10.

Joel 2. 23.

Christus in Eucharistia Doctor, & esca justitiæ.

Est Sol puritatis, & victoriæ.

זכח

זכות

זכה

Miraculum Solis perstantis ad triumphum in Eucharistia. Josue 10. 12. Origen.

S. Chrysost.

979 Subtexit Vates: & sanitas in pennis ejus. Statuimus supra eam translationem, & placenta in pennis ejus; Solis nimirum; qui dat etiam pennas David Psal. 138. vers. 9. Si sumpsero pennas meas diluculo. Tigurina, Pagninus, & alii; Si sumpsero pennas aurora, id est, solis exorientis. Non me latet, Soli pennas dari ob summam ejus velocitatem, qua momento temporis omnia collustrat; & quotidie viginti quatuor horis percurrit ambitum sui orbis, totiusque caeli vastissimi ab Oriente per Meridiem in Occasum, & Septentrionem. Illud tamen hic non contemnendum, pennas videlicet Soli attribui quasi avi eximii splendoris velocissime volanti. Hujus fuisse existimationis Aegypti, qui Solem Heliopoli quasi avem orientem, & occidentem pinxerunt. Et hinc multi existimant, Phoenicem avem, qui unus & solus dicitur esse in mundo & moriens renasci, non esse aliam, quam Solem ipsum verè unicuique, qui oritur, & occidit, & renascitur. Ita Pererius, & Cornelius in c. 7. Genes. v. 2. qui alios referunt. Hæc in Christum cadunt bellissime, qui in Eucharistia ad instar pennati Solis esse dicitur, avis fulgentissima, Phœnix sæculorum. Quò spectat Isaias cap. 46. Consilium meum stabit (ait Dominus) & omnis voluntas mea fiet. Vocans ab oriente avem, & de terra longinqua virum voluntatis meæ. De Christo hæc pronunciarum multi putant, quem avem appellat, qui ab oriente velociter ad hominum salutem advolavit, & verè est vir voluntatis Dei. Pro avem reddunt veteres Codices justum. Montanus in avi solem ipsum intelligit, quem arbitratur avem vocari propter velocitatem, qua suum lustrat orbem. Avem orientalem (ait ille) solem interpretatur, alatum eundemque orientem dicitur ex alto demissum: quem sic Malachias describit: Et orietur vobis sol justitiae, & sanitas in pennis ejus. Ubi maxime aridet Imperfecti interpretatio, prementis Isaiæ verba: Avis ista reverà in Eucharistia sumitur. Avis certè omne delectamentum in se habens, & omnis corporis suavitatem. Ut enim Psal. 49. vers. 11. testatur ipse Dominus, repullis, & abrogatis veteribus sacrificiis: Cognovi omnia volatilia caeli, & pulchritudo agri mecum est. Pro pulchritudo, est Hebraicè ziz; quo Chaldaeus, & Hebræi putant significari avem varii saporis, avem paradisi nonnulli vocant; & tanta saporum varietate commixtam, ut inde nomen receperit ziz, id est, omnimodum, universitas. Nonne hæc rectissime in Eucharistiam cadunt, ubi Christus ad instar avis est caelestis paradisi, omnia honestissimæ voluptatis, deliciarum, & illecebrarum blandimenta completens?

980 Quò referas calculum, sive candentem carbonem, de altari à Seraphino sublaturum, & Isaiæ labii admotum cap. 6. vers. 5. Et in manu ejus calculus, quem forcipe tulerat de altari. Pro calculus, est Hebraicè risspa, & in plurali resaphim 3. Reg. 19. subemeritis panis, id est, panis prunarum, seu coctus sub prunis. Eiusdem penè significationis est vox affinis, reseph, id est, carbo ignitus, & propriè volucris, seu avis. Unde vertas; in manu ejus panis volucris, vel panis alarum. Sic vocatur Eucharisticus panis; de quo Isaiæ verba explicant multi Ecclesiæ Patres relati à Leone Caffrio, & Cornelio nosro.

981 Sed habeo quod mihi ipsi obijciam,

nempe ejusdem Vatis Isaiæ testimonium ex cap. 30. vers. 19. Populus Sion habitavit in Jerusalem. Plorans nequaquam plorabis; miserans miserabitur tui, ad vocem clamoris tui, statim ut audierit, respondebit tibi. Et dabit vobis Dominus panem arctum, & aquam brevem. Et non faciet avolare à te ultra Doctorem tuum. Ubi S. Cyrillus. Alexandrinus putat in pane arcto, & aqua brevi significari Christum Dominum: Panis igitur, & aqua vivifica Christus est. Et quidem nullibi melius panis erat arctus, & aqua brevis, quam in Eucharistia Sacramento, ubi tantopere coarctatur & abbreviatur. Quem igitur panem arctum, & aquam brevem appellat, futurum esse ait Ecclesiæ Doctorem; panem quidem & Doctorem non volucrum, non alarum, sed absque pennis. Et non faciet volare à te ultra Doctorem tuum. Hebraicè ichaneph, id est, non alabitur, non alis ornabitur, non alas assumet Doctorem tuum. Chim hæc ita habeant, qua ratione Eucharisticum Solem, seu panem Eucharistiae, volucrum facimus, & alatum? Sanè Christus in Eucharistia non alas habet, ut avolet, & fugiat à nobis, ipse enim nobiscum erit usque ad consummationem sæculi, & sol erit indefessus, lumenque Ecclesiæ militantis indeficiens: nam corpus Christi, quod super mensam sanctam consecratur, inexhaustè participatur: nec enim sol finem facit præbendi splendorem indigentibus luce: ut ait Caesarius frater Sancti Gregorii Nazianzenii in lib. Quaestionum Theologicarum de locis Scripturæ sanctæ; alas tamen videtur assumere, ut ad nos è caelis avolet momento temporis; & in nostra commoda circumvolvet lætus; discursus, vegetur, exultet, & ubique locorum sit, si tamen per Consecrationis verba evocetur, obediens voce hominis.

982 Denique illa; & sanitas in pennis ejus; aut medicina in alis ejus, ut Vatablus legit; vel, ut nos supra ex Chaldaea lingua; & placenta sanitatis perpetuae in pennis ejus; ad perfectam & perpetuam corporum sanitatem, quam justii in resurrectione obtinebunt, operæ pretiū est referre. Virtute enim Eucharistici Sacramenti, aut re ipsa, aut in voto dignè suscepti, justorum corpora reviviscunt, æternam sanitatem donantur, variis donis, & qualitatibus supernaturalibus, claritate, impassibilitate, agilitate, & corporis subtilitate. Ideo Vates subtexit: & egredimini, & salietis sicut vituli de armento: Hebraicè, de pabulo, de saginario. Quod ad Eucharistica pabula & saginam referendum est: à quibus egredientur justii, devicta mortis & sepulchri corruptione, nitentes, pulchri, & acres, ut solent vituli egredi de uberimis pascuis saginati. Hinc illud Psal. 115. 4. Calicem salutaris accipiam. Hebraicè, Calicem Jesu, vel calicem salutis, aut salutem, sive etiam, calicem medicinæ, sanitatis, seu sanitatum: propter affluentissimam sanitatis & salutis copiam, quæ inest Eucharistico calici ad emortua corpora vivificanda, & perpetuæ sanitati, atque salutis restituenda. Mortis antidotum, & phar-macum immortalitatis, appellatur Eucharistia à S. Ignatio Epist. 14. ad Ephesios. Liliū, in quo sit splendor æternitatis, dicitur à S. Ambrosio Serm. 14. in Psal. 118.

983 Sed retentâ solaris lucis metaphora, in cuius pennis, seu radiis, hæc sanitas deferretur, venit expendendus Isaiæ locus cap. 26. 19. Isai. 26. 19. lo-

Sol pennatus quasi avis Phœnix.

Eucharistia avis fulgentissima omnis saporis. Isai. 46. 10.

Montanus.

Psal. 49. 11.

II

Isai. 6. 5.

רשפא

רשפא

Eucharistia panis volucris seu alarum.

Christus in Eucharistia alatus, sed non ut avolet à nobis, sed ad nos.

Eucharistia est placenta sanitatis perpetuae.

Psal. 115. 4.

Corpora vivificabit, nocte deperdita.

loquentis de carnis resurrectione. Vivent mortui tui, interfecti mei resurgent: expergiscimini, & laudate qui habitatis in pulvere; quia ros lucis ros tuus. Pro interfecti mei, Hebraicè est cadaver meum, vel corpus meum; id est, sicut corpus meum, seu cadaver meum, resurgent justii mei defuncti. Vatablus explicat; cum cadavere meo, vel corpore meo resurgent. Christi Domini verba sunt, cujus corpus Sacramentaliter à justis susceptum tantam vim habere dicitur, ut post multa sæcula sub finem sæculorum, eos suscitaturum sit ad vitam immortalem. Quod sequentia verba declarant: quia ros lucis ros tuus. Hebraicè est, ros luminum & splendorum. Ad rorem matutinum, qui fructus esse solet exorientis solis, gratus, & fecundus agris, fit allusio. LXX. vertunt, nam ros tuus, vel ros, qui à te, sanitas eorum, aut sanitas illis. S. Augustinus lib. 20. de Civit. cap. 21. medicina est illis. Tertullianus de Resurrect. carnis: medela est illis. Qui per sanitatem seu medicinam, hic immortalitatem rectissime accipiunt. Certè rorem lucis, luminum, & splendorum, jure merito Eucharistiam Isaias appellat, cum intinuit ad Manna, de quo Exod. 16. 13. Manna quoque ros jacuit per circuitum castrorum. Ros hic erat Manna, quod ros dicitur matutinus, quia matutino tempore è caelo spargebatur super terram, in similitudinem rotis coagulati & congelati. Ideo Numer. 11. 7. appellatur simile bdellio, id est, crystallo, seu margarita. Eucharistiam præfigebat, quæ ad instar matutini rotis est, ros lucis, luminum, & splendorum: cujus virtute corpora justorum, quantumvis in faniem, & pulverem soluta, reviviscunt, accepta ab hoc divinisimo rore perfecta sanitate, immortalitate, reviviscunt gloriosa, & splendore radiantia. Ut enim præclare S. Cyrillus lib. 3. in Joan. cap. 37. Vivificat corpus Christi, & ad incorruptionem sua participatione reducit. Non enim alterius cujusdam, sed ipsius vite corpus est: virtutem Incarnati Verbi retinens & plenum potestate illius, quo universa vivunt, & sunt. Et luculenter admodum, retentâ lucis metaphora, S. Irenæus lib. 4. advers. hæreses c. 37. ajebat ideo Verbum divinum humanâ naturâ indutum; Ut in carne Domini occurrat paterna lux, & à carne ejus nulla veniat in nos, & sic homo deveniat in incorruptelam circumdatus paterno lumine. Parco multis, hæc attingisse sufficiat.

§. VIII.

Quæstio recens positiva.

Eritne Eucharistia Sacramentum post militantis Ecclesiæ statum, in Ecclesia triumphante æternum?

984 **C**um statuerimus, Eucharistia Sacramentum esse lumen Ecclesiæ indeficiens, præfens quæstio suum locum videtur obtinere, quandoquidem vox illa indeficiens perpetuam præ se ferre videtur durationem. Et quidem boni consilio, ut præjacta controversia sese mihi dederit excitanda & illustranda à nemine, quem viderim, pertractata, est à nonneminè de sacro pulpito, suo utique malo, levi solum attactu fuerit divulgata & assertiva pars rudi plebeculæ minus cautè intrusa. Ergo ad rem, præmittenda

P. Ildeph. de Flores in Eccles.

Eucharistia ros sanitatis lucis, luminum, ad corporum resurrectionem.

Exod. 16. vers. 13.

S. Cyrill.

S. Irenæus.

Affirmativa partis fulcra.

985 **E**x cogitanti mihi pro assertiva parte fundamenta aliquot, hæc inter alia occurrunt. Primum, ex Psal. 109. 4. ubi ad litteram sermo est de Regia ac Sacerdotali Christi Domini dignitate. Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Id est, secundum similitudinem, morem, ritum, rationem Melchisedech, secundum illius sacrificandi morem; Quòd non carnis & sanguinis victimas immolaverit (ait S. Hieronymus in S. Hieron. Epist. 126.) nec brutorum animalium sanguine dextra susceperit; sed pane & vino simplici, puroque sacrificio, Christi dedicaverit Sacramentum. De quo Gen. 14. 18. Cum hæc ita sint, videtur Christus nulli alia ratione dicendus Sacerdos in æternum, nisi quòd Eucharisticum panis & vini Sacramentum perpetuò in caelis aservatum obtinurus sit: nam hæc duo correlativa sunt, Sacerdotium & Sacrificium: Sacerdotium erit æternum, ergo & sacrificium.

986 Secundum desumo ab illis locis, ex æterna gloria quibus constat, in æterna beatitudine mentis instrui, convivium celebrari, scitissimi saporis dapes apponi; & Beatos illos cives epulis divinissimis pasci, recreari, exhilarari. Psal. 16. 15. Satiabor cum apparuerit gloria tua. Psal. 35. 9. Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ; & c. Isai. 33. 16. Panis ei datus est, aqua ejus fideles sunt: Regem in decore suo videbunt. Et c. 65. 13. Ecce servi mei comedent, & c. Vide Matth. 8. 11. Lucæ 14. 15. & c. 12. 29. Apocal. 19. 9. Dicta hæc, cum nihil ob stare videatur, propriè sunt accipienda; probantque mensam Eucharisticam fore in caelo æternandam.

987 Tertiò proba ex Isaiæ cap. 55. ubi cum ad splendidam & lautam Eucharistiae mensam omnes invitasset, subdit v. 3. Et faciam vobiscum pactum sempiternum, misericordias David fideles. LXX. quibus Paulus Actor. 13. Actor. 13. 34. subscribit, vertunt: Et ponam vobis testamentum æternum, sancta David fidelia. Testamentum æternum appellat novum Testamentum, cujus sanguinem dedit nobis Dominus ad bibendum sub specie vini, sicut in Evangelio Marci ait cap. 14. v. 24. Hic est sanguis novi Testamenti qui pro multis effundetur. Deinde sancta David fidelia vocat corpus Christi, non extra Sacramentum, quod brevi tempore cum Discipulis fuit, sed sub speciebus sacramentalibus delitescens, & perpetuò duraturum, uti testamentum æternum. Videtis nostrum Francisc. Turrianum in Tract. 2. de Eucharistia c. 32. Si ergo æternum pactum, & sempiternum testamentum cum hominibus, extat alma Eucharistia, hæc perennis erit.

988 Quartò, ad rem spectant Christi verba apud Matthæum cap. 26. 29. Cum enim Eucharisticum Calicem præ manibus haberet, Discipulos sic fuit allocutus: Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc gemmine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei. Vitis fructum, id est, vinum, plures Ecclesiæ Patres apud Mal-donatum nostrum, ad sanguinem Christi referunt, uti etiam regnum Patris ad æternam benedictionem: imò observat Maldonatus, regnum Patris nunquam nisi caelum vocari, quia solus Pater nunquam videatur de caelo descendisse. Bibiturum se dicit mundi

Sacerdos æternus Christus. Psal. 109. 4.

Æterna gloria dapes.

Psal. 16. 15. Psal. 35. 9. Isai. 33. 16.

Isai. 55. 3.

Actor. 13. 34.

Marc. 14. 24.

Æternum pactum Dei cum hominibus Eucharistia.

Y 2 mundi